13.B/23-003

Vir dignissime, colendissime! Cum solatio percepi
Litteras tuas, quia perspexi ex eis, quod quidem iam
prius tenebam, te nimirum prompte suscepisse
plantas meas et judicium amicum dixisse de
illis. Sicut certum est, quod non soleam recedere
leviter ab ideis, et sententiis, quas ex con-
victione sequor, ita parte ab alia plurimi
facio judicium peritorum amicorum; illa pro-
inde, quae dignabaris mihi communicare, val-
de grata sunt, et ego desidero, ut in poste-
rum quoque nostrum persistat commer-
cium litterarium frequens et sincerum.

Bulbos de Croco vittato, si quo possibile fue-
rit tibi mittere contendam.

Quod Genistam attinet <u>heteroacantham</u> non
praebeo assensum sententiae tuae, – aut vero mi-
hi non est clarum objectum. G. silvestris Scop.
mihi est foliis linearibus, lineari lanceolatis, plan-
ta humilis, caule a basi folioso; ego meam nov.
spec. (s. est.) traho ad G. germanicam potius,
a qua tamen differt caulibus procumbentibus,
demum adscendentibus, et spinis ramorum
florentium herbaceis, v. bracteis herbaceo
mucronatis, nec compositis; folia meae Geni-
stae et totus habitus differt adeo a G. sylve-
stri, ut nullo modo acquiescam: identicas
esse; – si non est varietas, aut forma

G. germanicae, extunc in conjunctionem cum G. sylvestri vix unquam consentire possem, ... si equidem illa vera est G. silvestris, quam reputo, et tibi, crediderim, nisi.

Primula Kitaibelii Schott descripta est, Skofitz, botanische Zeitung de A[o]. 853

Pedicularis nomen mutabo et illud Campanulae, etiam Veronicae; sed Synonima dicam per te proposita nomina in litt.

Sentimentum tuum de aliis plantis avide expecto; prosertim de Centaurea sic dicta Carniolica et variegata; mihi videntur differentiae subesse;

Hoc brevibus retribuo in signum sinceri affectus mei et existimationis, illud desiderium adnectens, ut porro velis amicam cooperationem tuam mihi concedere pro utilitate Scientiae, et exhilaratione animi, quem tantopere erigit hoc amabilis occupatio nostra. Ab amico Schlosser salutem plurimam.

Tibi commendatus persisto

Zagrabiae 15. Jan. 857 paratissimus

Lud. Farkaš Vukotinović